

## ANNEXES

---

### I.

#### **Conclusion capitulaire du Chapitre de St-Lambert du 23 juillet 1561.**

ARCHIVES DE L'ÉTAT A LIÉGE. Reg. CXIV, pp. 308-309.

*23 Julii 1561. — Bulla super instituendo Theologorum Collegio ac prebendarum incorporatione : Dominus Cancellarius Wytten ex parte R<sup>mi</sup> nostri Principis Roberti a Bergis exhibuit capitulariis atque legit coram dominis quamdam apostolicam concessionem Sue G. R<sup>me</sup> factam de erigendo in hac sua civitate certo Theologorum et aliarum facultatum Collegio ex causis inibi latius expressis cum suppressione abolitione et extinxione certorum canonicatuum et præbendarum in utroque mense primo loco vacaturorum, nempe in majoris primo loco vacatura prebenda, et sic subsequenter in quibuslibet istius civitatis collegiatis ecclesiis una, atque etiam ecclesiis Beate Marie Virginis Huyensis, Tongrensis et Trajectensis oppidorum eorumdemque fructuum et emolumentorum etiam quotidianarum distributionum applicatione ad opus dominorum et ordinarie legentium ejusdem instituendi et erigendi Collegii facienda, exponens Sue R<sup>me</sup> G. non inutile videri in commodum istius reipublicae si ad dicti Collegii erectionem procederetur, atque petens ulterius desuper Capituli mentem et opinionem sibi declarari : super quo domini perpendentes plurimorum suorum Confratrum absentiam maxime eorum quos praesens negocium concernit putaverunt illud adusque Capitulum proximum differendum ac singulos dominos in hac parte specialiter vocandos ut coram omnibus sententia desuper resolvatur.*

### II.

#### **Conclusion capitulaire du Chapitre de St-Lambert du 30 juillet 1561.**

ARCHIVES DE L'ÉTAT A LIÉGE. Reg. CXIV, p. 309.

*Paenultima Julii 1561. — Super eodem : Domini attenta pluralitate dñorum absentium eorum ad praemissa(m) deliberationem adusque Beati Egidii festum proximum Capitulumque generale tunc servandum continuarunt deputatos Venerandos ac Venerabiles dominos Cancellarium Wytten, Archidiaconum Campinie, Decanum Dyonantensem, Doverinum, Gavereh, Jaillon, Langhe ad interim hujusmodi Literas Apostolicas penitus examinandas et super illarum contentis suam mentem Capitulo referendam.*

III.

**Conclusion capitulaire du Chapitre de St-Lambert du 5 août 1561.**

ARCHIVES DE L'ÉTAT A LIÉGE. Reg. CXIV, p. 309.

*5 augusti 1561. — Super eodem : Receptis atque lectis in Capitulo Suae R<sup>me</sup> Gratiae litteris per quas plurimum in rem et salutem istius reipublice desiderare videtur ad erectionem Collegii de quo in pretactis litteris apostolicis pergere debere, Domini rogandos putarunt praefatos Capituli deputatos ut quo fieri poterit citius ad commissum negotium pergant literasque apostolicas penitus examinent desuperque suam sententiam sive mentem Capitulo declarant ut pari omnium sententia desuper statuatur.*

IV.

**Conclusion capitulaire du Chapitre de St-Lambert du 1 septembre 1561.**

ARCHIVES DE L'ÉTAT A LIÉGE. Reg. CXV, p. 4.

... In quo prima scilicet septembris anni pretacti dñi dixerunt sententias ad quarum collectionem et ut in bonam redigantur formam exequanturque deputaverunt R<sup>dos</sup> dominos prelatos praepositum, Hannonie, Campinie, Famenne, Ardenne archidiaconos, utrumque officialem leodiensem et Capituli, Renneborghe, scholasticum, Doverinum, Jaillon, Gaveren, Elderen, Langhe.

*Bulla schole : Etiam eosdem ad excutiendam Bullam sive Concessionem apostolicam super schola sive collegio erigendo illiusque dotatione, cum singulorum relatione ad Capitulum<sup>(1)</sup>.*

V.

**Conclusion capitulaire du Chapitre de St-Lambert du 9 septembre 1561.**

ARCHIVES DE L'ÉTAT A LIÉGE. Reg. CXV, p. 5.

*9 septembris 1561. — Bulla schole sive Collegii erectionis : Domini ad expositionem ex parte dominorum deputatorum circa examen Bullae scholae sive Collegii erigendi datorum factam, num videlicet expediret Suam Gratiam requirere placeret secundarias ecclesias in Bulla designatas ad illius communicationem recipere et admittere ut pari voto et sententia eorum quorum interesset in hoc negotio pergatur, censuerunt Sue Gratiae mentem desuper requirendam*

(1) Un petit feuillet, intercalé dans le même Registre, entre les pages 3 et 4, porte le texte suivant, où il faut sans doute voir un projet de commission élaboré en vue de la séance du 1<sup>er</sup> septembre : « Ad concipiendam Capituli resolutionem (et ad Suam R. G. referendam) Bullam super constituenda schola examinandam prima Septbr. 1561 : prelati, uterque officialis, scholasticus, Renneborghe, Doverinus, Jaillon ».

maxime cum negotium inter omnes designatos commune sit et singulos tangat.

VI.

**Conclusion capitulaire du Chapitre de St-Lambert du 19 septembre 1561.**

ARCHIVES DE L'ÉTAT A LIÉGE. Reg. CXV, p. 6.

*19 septembris 1561.* — *Bulla erectionis schole* : Capitulo Generali postridie festi Sancti Lamberti servari solito inchoato et ex continuatione serviente domini audita mente Sue R<sup>me</sup> G. quoad Bullam nove schole sive Collegii erectionis per dominum Cancellarium exposita, ordinarunt dominos deputatos sese super contentis dicte Bulle resolvere debere ac denique eam Clero secundario quorum interest communicare ut eorum etiam desuper habeatur resolutio, illa quoque ad Capitulum referatur desuperque statuatur.

VII.

**Conclusion capitulaire du Chapitre de St-Lambert du 19 novembre 1561.**

ARCHIVES DE L'ÉTAT A LIÉGE. Reg. CXV, p. 9.

*19 novembris 1561.* — *Super nova schola erigenda* : Domini post lecturam conceptus communis sententie per et inter dominos maioris et secundariarum ecclesiarum deputatos capte super responso S. R<sup>me</sup> G. dando in negotio erectionis schole, quia iidem deputati suis respective capitulis conceptum hujusmodi communicare eorumdemque respective capitulorum resolutionem in communi congregazione proxima referre suscepserunt, domini suam deliberationem desuper suspenderunt donec illorum habeatur resolutio.

VIII.

**Conclusion capitulaire du Chapitre de St-Lambert du 23 octobre 1566.**

ARCHIVES DE L'ÉTAT A LIÉGE. Reg. CXV, p. 691.

*23 octobris 1566.* — *Jesuite* : R<sup>dus</sup> Dominus Decanus exposuit dominis meis capitariter congregatis et specialiter ad hoc convocatis actionem habitam cum R<sup>ma</sup> Sua G. atque sue ecclesie prelatis quibusdam ad constitutionem Collegii Jesuitarum in civitate Leodiensi fiendam, eandem videlicet Suam G. simulque et prelatos omnes judicare constitutionem hanc piam et justam atque presentium temporum dispositione attenta fore summopere necessariam ut per tales sic constituendos Jesuitas juventus civitatis et patriae Leodiensis ac etiam alii viri adversus perversorum hominum fidei antique et catholice emulorum conatus et persuasiones instrui possint, quodque dicta Sua G. contentam se reddisset in augmentum predicte

constitutionis in annos singulos ex proventibus sui episcopatus etsi idem multi allis majoribus oneribus obstricti forent ducentos florenos, dictos vero prelatos ratione suarum prelaturarum etiam tantumdem contriburere fore respective contentos, preterea eidem Sue Gratia atque dominis prelatis visum esse Capitulum insignis ecclesie posse etiam annue ex massa omnium prebendarum centum daleros numerare et sic subsecutive omnes aliarum ecclesiarum prelatos et monasteriorum abbates posse juxta facultates suas dicte constitutioni tam pie tamque juste subvenire adusque forent alia ratione redditus in eum finem constituti ; super quo reverendi domini mei votantes, potiori omnium sententia premissam sic fiendam constitutionem justam equam et rationabilem et presenti temporis convenientem judicaverunt atque in eum finem tantum ex massa pretacta quantum premittitur exsolvendum esse ordinaverunt. Verum ex quo premissa omnia omnes in generale dominos concernunt nonnullique sunt dicte constitutioni contradicentes et quod omnes tangit ab omnibus probari debet, suam super premissis dandam resolutionem et sententiam adusque Capitulum proximum speciale quod altera festi Beati Martini servari consuevit suspenderunt negotiique hujusmodi tractationem eo usque continuaverunt.

## IX.

### Conclusion capitulaire du Chapitre de St-Lambert du 12 novembre 1566.

ARCHIVES DE L'ÉTAT A LIÉGE. Reg. CXV, p. 699.

*12 novembris 1566. — Jhesuite : In negotio constitutionis Collegii Jhesuitarum in civitate Leodiensi fiende visum est potiori et saniori sententia constitutionem hanc non esse pretermittendam sed tanquam piam et justam promovendam atque ex massa prebendarum centum daleros in auxilium premissae institutionis accipiendo et illos aliis centum per G. S. R<sup>mam</sup> et aliis consumtibus centum per prelatos respective oblatis jungendum, hoc tamen salvo ut si qui sint quibus non placebit ob hujusmodi causam ex fructibus sue prebende numeratam esse suam quotam ab eis non exigatur neque ad hoc compellantur.*

*Nota : Aliqui fuerunt in contraria sententiam videlicet ab erectione Jhesitarum hujusmodi abstinentium neque ad eam esse progrediendum, sed major pars votantium vicit.*

## X.

### Conclusion capitulaire du Chapitre de Cortessem du 19 août 1567.

ARCHIVES DE L'ÉTAT A HASSELT. Reg. 1508-1573.

*Copia ex instrumento responsi super petita reverendissimi principis nostri Episcopi Leodiensis de verbo ad verbum que capitulo est intimata 19 augusti anni 1567.*

Anno 1567 mensis augusti die quarta comparuerunt Leodii apud sanctum Petrum R<sup>di</sup> venerabiles et eximii domini decani eorumve deputati, necon reverendorum dominorum abbatum priorum aliorumque virorum ecclesiasticorum commissarii tam intranii quam extranii secundarii cleri civitatis et patrie Leodiensis responsuri ad tripartitam propositionem per R<sup>mum</sup> d<sup>um</sup> et illustrissimum principem D<sup>um</sup> Episcopum Leodiensem alias 22 juli anni predicti antetacto clero factam quidquid domini post maturam deliberationem inter se habitam responderunt ut sequitur :

Et primo quod ad morum correctionem attinet declararunt iidem salutari monitioni R<sup>mi</sup> D<sup>ni</sup> velle se obtemperare, scandala movere, et vite rationem meliorare (quantum humana imbecillitas patitur inire) contendente tamen clero intraneo hujusmodi correctionem prelatis et decanis relinquendum esse, extraneo vero clero correctionem R<sup>mo</sup> juxta rescriptum apostolicum permittente.

Altero vero sequente die scilicet quinta augusti hujusmodi permissionem declarantes non aliter permittendum quam juxta mentem et conclusionem cleri intranei videlicet hujusmodi correctionem prelatis et decanis ecclesiarum relinquendum esse, adhortanturque propterea predicti R<sup>di</sup> D<sup>ni</sup> deputati omnes prelatos et decanos singularum ecclesiarum ut sese emendant capitulaque sua superposita et membra moneant, excessus corrigant juxta statuta et consuetudines laudabiles suarum ecclesiarum, ne Reverendissimus suo Indulto apostolico contra negligentes et rebelles cogatur uti in magnum cleri et privilegiorum ejusdem prejudicium.

Deinde quoad articulum institutionis scole, etc., consensum est quod clerici extranei ex causis et rationibus per eum deductis et allegatis non contribuet.

Ad tertium vero articulum de solvendo scilicet summam quinquaginta milium ducatorum, dicunt supradicti domini suarum ecclesiarum aeraria exhausta seseque immensas expensas diversimode sustinuisse, attamen si calculo facto de expensis per G. S. R<sup>mam</sup> factis deque illarum recuperatis et recuperandis ab urbibus et personis rebellibus comperiatur G. S. R<sup>mam</sup> plus exposuisse, suprafati domini pro posse suo non intendunt deesse G. S. R<sup>me</sup>, imo se benevolos exhibere rationibus intellectis et habita ratione onerum et incommodorum per eos sustentorum ex eadem causa nimirum propter adverarios fidei catholice de quibus quidem oneribus et incommodis domini commissarii collegiorum Tongrensis et Trajectensium precipue conquesti sunt. Sic subsignatum Michael Grumelier presbyter venerabilium ecclesiarum secundariarum supratactarum notarius.

Thomas Beverloe per copiam notarius.

---